





41. 25

1730, 24

FACULTATIS JURIDICÆ

P. T.

DECANVS,

ERNESTVS TENZELL,

JCTVS,


EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIVS RE-
GIMINIS, JVDICII PROVINCIALIS ERFORDIEN-
SIS ASSESSOR, AC DICTÆ CIVITATIS
CONSVL PRIMARIVS.

Præsentibus L. B. & S. variis de iudiciis completis

ERFORDIÆ,

Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.





Vod in *S. f. J. de Jure N. G. & C.* constitutum: *Omne jus, quo utimur, ad personas pertinere, vel ad res, vel ad actiones: occasionem præbuit statuendi, quasi triplex ibidem objectum. Juris statuatur, cum tamen hæc tria vix sub eodem in Jurisprudencia stent genere, & planè aliter in Jurisprudencia sese habeant, personæ & res, aliter actiones. Illæ quippe species juris constituunt, dum alio modo jus versatur circa personas earumque status, unde præjudiciales actiones oriuntur, quasi quarum decisiones præcedere debeant, antequam ad rerum, quæ intuitu earum occurrere possint controversarum, peruestigationem, transitus fieri potest aut debet: alio modo circa res, ubi Jura vel in ipsam rem devinctam competunt, vel personarum intuitu, rerum obligatione perficiuntur. Actiones verò tanquam remedia juris, ex ipsis juribus personarum ac rerum, iisque tam in re, quam ad rem nascuntur, & pari modo divisiones, & diversam suam naturam nanciscuntur. Inde igitur illud, quod Actiones per totum jus sese dif-*
fun-

fundant, fuit. Quid enim jura prodesse, nisi, ubi
quis sponte suum cuique tribuere detrectat, essent re-
media, quibus compelli refractarii possent. Hoc igitur
præcipuum Jurisprudentiæ est officium, lites diri-
gere, sopire, & ad finem deducere, ut pax & concordia
in Republica vigeant. Hinc etiam sunt, qui Jurispru-
dentiam definiunt, quod sit Prudentia, jus ad actiones,
quæ circa res Divinas & humanas, in societate Civili
obveniunt, applicandi. Quæ quidem definitio, à qui-
busdam ad Jurisprudentiam solum Judiciariam perti-
nere asseritur, cum tamen etiam ad reliquas Jurispru-
dentiæ partes, satis commodè accommodari possit.
Interim negari non potest, maximè Reipublicæ interes-
se, Judicia bene esse ordinata, hoc præsertim sine, ut li-
tes quantum salvâ Justitiâ fieri potest, cito, sed secun-
dum regulas boni & æqui, terminentur, nec fiant im-
mortales. Sic enim inter ea, quæ ad bonè, beateque
vivendum pertinent, *Martialis* primo loco ponit: *Lis*
unquam. Et tritum est *Chilonis Lacedemonii* præceptum,
aureis literis Delphico templo consecratum, *Æris alie-*
ni, atque Litis, comitem esse miseriam. Hinc *verecundam*
cogitationem ejus, qui lites execratur, non esse vituperandam,
ait Ulpianus in l. 4. §. 1. ff. de alien. jud. mutand. caus. f. Quid
igitur magis officio Prætoris incumbet, quam lites dimi-
nuere, *l. 21. ff. de reb. cred. & lites finire l. 3. §. tamen si ff. de*
recept. junct. l. 37. ff. de recept. qui arbitr. l. 1. ff. de jure-
jur. l. 1. ff. de recept. Judicet jam quisquis velit de opi-
nionibus illorum, qui de licibus judicari posse etiam sine
Jurisprudentia, nec hanc ita ad Jurisdictionem necessa-
riam esse, ut non judex esse possit qui non est juris pe-
ritus, credunt. Vix enim illud fieri posse, nisi in causis

levioribus, aut talibus, quarum illi capaces sunt, ut mili-
tarium, nulli magis quam milites, opificum, qui eam
artem tractant. In villis & pagis de iis, qui inter rusti-
cos versantur, hi peritiores, aut ubi copia non fuit
literatorum, attamen non ultra ea facultas justa, quam
se porrigit judicantium peritia. In iis, quæ excedunt,
tam non congruum iudicium, quam necessarium, peri-
tiores consulere. Rectius Justinianus Imper. *Nov. 82.*
pr. Reipublicæ perniciosum iudicat, juris Imperitos ju-
dicandi munere fungi, verbis seqq. *Non existimavimus,*
oportere habere iudicum quorundam nomina, maxime legum
ineruditorum; deinde neque causarum habentium experi-
mentum. Nostris enim administratoribus adsunt modis omni-
bus etiam assessores, & ea quæ legum sunt explicant, & oc-
cupationes adimplentes eorum. Quoniam multi detenti curis
quas apud nos habent, merito iudiciorum compleunt partem
per suorum præsentiam assessorum. Illi autem neque cingu-
lum habentes, neque nobis ministrantes, nisi potuerint per se
nosse, quod justum est, sed aliunde emendicare iudicandi ho-
nestatem, quomodo non maximum vitium erit reipublicæ; non
eis, qui ex se, quod agendum sit, sciunt, lites tradere, sed si-
nerere eos querere alios, à quibus liceat discere quæ ipsos in ju-
dicando eloqui decet. Unde imperitia & imprudentia Ju-
dicis malè iudicantis, quasi delictis annumeratur in pr.
Inst. de oblig. quæ qu. ex del. l. f. ff. de extraord. cogn. & si
Judex Litem suam fec. dic. Quod quasi delictum pro-
ducit actionem in factum, quæ datur læso per decre-
tum, aut sententiam iudicis, ex imprudentiâ malè
iudicantis, adversus eundem, ad præstandum interesse,
juxta æquum iudicis illius causæ arbitrium l. f. ff. ibid.
Quam actionem nec hodie ab usu recessisse, monet B.
Men-

Menken. ad d. Tit. s. fin. Quare vero imperitiam in Medico secante, aut curante pro vero delicto haberi, ex l. Aquiliã in §. Imperitia *Inst. de Leg. Aquil.* asseritur? Et putat Vinn. ad *pr. J. de oblig. quæ qu. ex del.* hoc idem fieri, quia Medici periculosam imperitiam delicto subijciat, temeraria professio scientiæ, Judex autem non professione scientiæ censeatur, sed publica autoritate constitutus, etiam invitus. Etsi autem negari non possit, quod olim peritia artis Medicæ Romæ servilis professio fuerit, uti inter alios probatum à Bœckelmanno in Libello cui titulus: *Medicus Rom. XX. solidis aestimatus.* An verò inde magis adstrictus Medicus, quam Judex? Non putarem. Uterque enim peritiam artis, etiam illo tempore professus est. Rectius itaque utrumque Jure Civili ob imperitiam ex quasi delicto teneri dicendum. vid. *Dn. de Berg. Disput. VI. de Quasi Delictis Sect. Spec. Thes. 2. lit. a.* Ubi *ib. 3.* contra JCorum Batavorum sententiam, hanc actionem adhuc hodie in usu esse, ostendit. Ceterum plura de officio Judicis, præsertim in litibus abbreviandis tractabit, quem sistit jam Facultas nostra Candidatus Juris, qui utriusque militiæ tam sagatæ quam togatæ fortunam expertus est,

PRÆNOBILIS DOMINVS

FRIDERICVS WILHELMVS KÛNHOLDVS.

Advocatus in Dicastris Serenissimi Ducis Saxonici
Friedensteinensibus, celeberrimus: Cujus ortum &
fata, brevibus, more recepto, indicabimus; Vitali lu-
ce frui cepit Gothæ, quæ Thuringiæ Civitas est, ab
anti-

antiquis temporibus & quod sit Sedes Magni Principis, celeberrima, die 7. Febr. anno 1689. Parentum optimorum post fata veneratur memoriam, Patris nimirum PAVLI KÜNHOLDI, Serenissimis Ducibus Saxonice à temporibus Ducis ERNESTI PII, Beatiss. mem. ad finem vitæ à Consiliis variis, Aulicis & Cameralibus, nec non tandem simul Præfecturæ Gothanæ supremus moderator. Matris, ANNÆ ELISABETHÆ, Sororis meæ Germanæ desideratissimæ, Tenzeliorum & Bonneriorum stemmate ortæ. Cura prima post lavacrum Sacri Fontis, Parentum fuit, ut Pietatis & literarum studiis à teneris imbueretur. Traditus hoc finis est Informationi privatæ SCHENKII, & NÆTERII LL. Candid. nec non LEONHARDI & HILDEBRANDI, SS. Theol. Studioforum. Postea informatorem nactus est Dn. PVRGOLD, nunc Jcti ac Serenissimorum Ducum Saxo-Meinungenfium Consilarii, cui prima in Principiis Philosophiæ & Jurisprudentiæ fundamenta debet. Anno 1705. ad Academiam Jenensem missus, Pro-Rectore B. Doct. & Prof. WEDELIO, in album Studioforum cooptatus est, ac ibidem Dn. FRISII, Aulæ Ifenac. Consilarii ad instituta Justinian. & Pandectas, Dn. PEISKERI ad Codicem, Novellas, & Jus Feudale, collegiis interfuit, Anno 1706. invasione Suecicâ irruente, domum revocatus, & post Festum Pentecostes Anni 1707. Academiam Rostochiensẽ adire iustus, ibidem Collegia privata Dni JOHANNIS JOACHIMI SCHÖEPFERI, Consilarii Ducalis Mcklenburgici, ac Cancellariæ Vice-Directoris, nec non P. P. celeberr. Synopsis Juris suam, & Jus publicum explicantis audiuit. Hinc iter ad vicinas Regiones, & Academias suscepit.

cepit. Postea domum Ao. 1708. revocatus nec ibi otiosus fuit, sed repetiit quæ antè audiui, in Collegio B. Dn. Consilii Aulici HEIDENREICH ad Schnobelii Dissertationes, ac simul in Præfectura Gothana in praxi sese exercuit. Cæterum curam B. Parentis in recipiendis Stauris, & re familiari in Feudis TAMBUCHSHOFF, & WÖLFFIS, sublevavit, donec mors tandem post plurimos morborum impetus, eundem eriperet. Post quæ fata, BEROLINVM se contulit, ibique accessum ad Cameram Provinciam quæsivit, spe ipsum orta in vicinia BRENSLAVIÆ, lue pestifera defraudante, & in Patriam repellente. Unde anno 1711. nostram Universitatem Erfordensem petiit, ibique in numerum membrorum a Magnif. & Excellentissimo Dn. D. STREIT Consilario Regiminis, ac Facultatis Nostræ Seniore, Collega meo honoratissimo, tunc temporis Sceptra Academica tenente, receptus, mea informatione in theoria & praxi usus est. Deinde anno 1712. Sagatæ etiam militiæ fortunam tentaturus, signiferi inter equites levis armaturæ Gothanos, copiis imperialis sociatos, locum obtinuit & castra ad Rhenum Superiorem contra Gallos trium expeditionum spatio secutus, post pace subsecuta, anno 1714. ad militiam Togatam rediit, & primo aliquot annos, processibus propriis transectandis, ac rei familiari formandæ, impendit, Anno 1720. Causas in Civitate Patria indultu illustri Regiminis, præmissis examine, orare cepit, & adhuc orat. Nunc ut supremos in iure honores Doctorales acquireret, Nostram Facultatem adiit, eidemque preces obtulit. Nec sine successu. Cum enim textus ex utroque iure more antiquitus, & statutis nostris

ris firmato transmissos, satis apposte in examine rigoroso eo fine instituto resolverit, suamque injure acquisitam scientiam Facultati egregie probaverit, dubium nullum restitit, quo minus ad ulteriora specimina & ad Gradum Doctoralem acquirendum, satis dignus judicatus fuerit. Quare proximo die 5. August. h. D. d. ad Lektionem Cursoriam ad *L. Proferendum* 13. *C. de Judicis*, & eâ finita Disputationem Inauguralem

**DE AMPVTANDIS PRO-
CESSVVM AMBAGIBVS,**

IN FORO PRÆSERTIM

SAXONICO DVCALI,

AD SERENISS. PRINCIPIS BENEPLACITVM

ET SVBDITORVM SOLATIVM,

habebit. Ad quos Actus solennes, Reverendiss. & Magnificus Universitatis Nostræ Dn. Rector, Proceres atque Fautores officiosissime & eâ quâ par est humanitate invitantur. Publ. sub Sigillo Facult. Jurid. Dom. VIII. post Trin. d. 30. h. Jul. A. MDCCXXX.

L.S.

ERFURT, Diss., 1730 (1)

ULB Halle


003 749 266

3



TA → OL





41.25

1730, 24

FACULTATIS JURIDICÆ
P. T.
DECANVS,
ERNESTVS TENZELL,
JCVS,

EMINENTISSIMI AC SERENISSIMI PRINCIPIS
ELECTORIS MOGVNTINI CONSILIARIVS RE-
GIMINIS, JVDICII PROVINCIALIS ERFORDIEN-
SIS ASSESSOR, AC DICTÆ CIVITATIS
CONSVL PRIMARIVS.

De variis de iudiciis completens

ERFORDIÆ,
Typis GROSCHIANIS, Acad. Typogr.

